



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &  
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

Dominica Sexta Post Trinitatis, Evangelivm, Matth. V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**



POST TRINITATIS. 38.

tio non ociosa, sed magni laboris & multæ molestiæ. Quàm uero frugiferum sit ministerium, & quàm diu duraturus labor ministerij, non cernitur. Sicut enim pisces in reti sub aqua latent, ita Ecclesia in hac uita latet obruta afflictionibus, & infirmitate omnis generis. Ad extremum uero postquam rete ex aqua extractum fuerit, apparebit fructus uberior omnium opinione, ut ingens sit omnium futura admiratio. Proponitur item consolatio aduersus scandalum, quòd multi desiciunt ab Euangelio, & relabuntur ad errores. Nam & si aliqui, ut pisces rupto reti, excidunt, tamen in reliquis efficax est ministerium. multi seruantur, & manent in societate membrorum Ecclesie, & confessione puræ doctrinæ Euangelij.

DOMINICA SEXTA  
POST TRINITATIS,  
EVANGELIUM,

Matth. V.

**N**isi abundauerit iusticia uestra plus quàm Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Audistis,



## DOMINICA SEXTA

Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico uobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.

Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade, prius reconciliare fratri tuo, & tunc ueniens offeras munus tuum.

Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es in uia cum eo, ne forte tradat te aduersarius Iudici, & Iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exhibis inde, donec reddas nouissimum quadran-tem.

OCTO SVNT PRÆCIPVI

*Loei.*

I. No



## POST TRINITATIS. 39.

- I. *Necessitas iusticiae operum .*
- II. *Discrimen iusticiae carnis, & spiritualis .*
- III. *Quinq; rebus abundat iusticia spiritua-  
lis supra rationalem, 1. poenitentia, 2. fide,  
3. nouitate spiritus, 4. successibus in uoca-  
tione, 5. uictorijs aduersus diabolum .*
- IIII. *Quod Lex requirat perfectam obedi-  
tiam .*
- V. *Quomodo placeat haec obedientia in-  
choata & imperfecta .*
- VI. *De uindicta .*
- VII. *Quod ceremoniae non prosint, si contra  
conscientiam uioles praeccepta moralia .*
- VIII. *De odio & de reconciliatione .*

### DE PRIMO.

**T**estimonium manifestum est, quod oporteat  
adesse iusticiam operum, quia supra dicit :  
Non ueni soluere Legem, & hic requirit iusticiam  
maiores Scribarum. ergo requiritur hic iusticia  
bonae conscientiae, & amplius. Huc pertinent &  
haec dicta : Nolite errare. adulteri, fornicatores,  
homicidae, non possidebunt regnum Dei .

### DE SECVNDO

**E**xtare in Ecclesia necesse est discrimen  
disciplinae rationalis, quae uocatur iusticia  
carnis.



## DOMINICA SEXTA

carnis, & iusticie spiritualis. Disciplina est ratione coercere membra, ne admittant externa facta contra Legem Dei, etiamsi cor est sine uero timore Dei, sine pœnitentia, sine fide, plenum dubitationum, Hanc disciplinam tradebant Pharisæi, & putabant esse Legis impletionem, & iusticiam coram Deo. Nec reprehendit Christus disciplinam, sed errores, quos addebant Pharisæi, & immudiciem interiore.

### DE TERTIO.

**D**iligenter obseruandum est, quibus rebus abundet iusticia spiritualis. Primum pœnitentia, necesse est enim in corde ueros paues existere ex agnitione iræ Dei aduersus peccatum. agnoscat cor non tantum externa delicta esse peccata, sed etiam dubitationes de Deo, securitatem, diffidentiam, quærere humana presidia ex diffidentia & neglectione Dei, item multiplices errantes motus, & perpetuam naturæ humanæ contumaciam contra Legem Dei.

Secundo abundat iusticia spiritualis, fide, id est, fiducia misericordiæ promissæ propter Christum, qua fide accipitur reconciliatio, & fit uera inuocatio. Nam ubi hæc fides non præluet, nulla est inuocatio.

Tertio abundat nouitate spiritus, id est, inchoat



## POST TRINITATIS. 40.

inchoata obedientia interiore, timore Dei, fide, dilectione, inuocatione, patientia, castitate, amore ueritatis, misericordia erga alios, iuxta illud: Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.

Quarto successibus abundat in uocatione. David fide munitus res salutare & utiles gerit. Saul, quia sine fide est, non audet dimittere, querit consilia magica, & multa negocia propter diffidentiam corrumpit, Sicut de impijs dicitur: Contritio & infelicitas in uijs eorum. Econtra de fidei dicitur: Quidquid faciet, prosperabitur, uidelicet in uocatione.

Postremo abundat iusticia fidei, quia multipliciter uincit insidias Diaboli, cum hypocrite horribiliter succumbant & euertantur. Succubuit diabolo Saul, uictus odio & cupiditate uindictæ, ut interficeret. Sacerdotes. succubuit Iudas. succumbunt multi dementati prauis opinionibus, ut Anabaptistæ. De talibus certaminibus inquit Petrus: Circumit Diabolus, tanquam Leo rugiens, querens quem deuoret. Diligenter ergo considerentur hi gradus, quibus abundat iusticia spiritualis supra disciplinam rationalem.

### DE QVARTO.

**H**IC clarum testimonium extat. quod Lex Dei requirat, non tantum externam disciplinam,



## DOMINICA SEXTA

disciplinam, sed perfectam obedientiam interior-  
rem, & exteriorem. Sicut Paulus docet 2. Co-  
rinth. 3. Sed multi non intelligentes hanc prædi-  
cationem pœnitentiæ, fingunt hic tantum Stoicas  
quasdam hyperbolas tradi. Cur, inquit, præci-  
pit Christus, quæ nemo præstare potest? an, ut Stoi-  
ci, monstrat imaginem uirtutis ociosam? Sed sci-  
endum est hæc Christi dicta, non esse hyperbolas,  
nec Stoico more dici, sed esse ueras & proprias  
sententias iudicij Dei aduersus peccatum hærens  
in natura hominis. Et principalis causa est, cur  
hæc contiones præponantur, ut ira Dei aduersus  
nostram immundiciem agnoscat, & quod dis-  
ciplina externa non sit impletio Legis, non tollat  
peccatum, non sit iusticia coram Deo, sed quod sit  
opus mediatore Messia.

### DE QUINTO.

**O**portet autem inchoari obedientiam in  
corde, & existere motus assentientes Legi  
Dei, timorem, fidem, dilectionem Dei, pa-  
tientiam. ideo dictum est: Nisi abundauerit &c.  
ut Dauid non ardet cupiditate uindictæ, ut Saul,  
& tamen ne Dauid quidem satisfacit Legi Dei,  
agnoscit se habere alios uitiosos affectus, agnoscit  
etiam nature deprauationem. nam interdum  
oriuntur flammæ odij aduersus Saulem, quas ta-  
men spiritu iterum extinguit. Questio



## POST TRINITATIS. 41.

Questio est igitur, quomodo placeat hæc imperfecta obedientia? Respondeo: Tria requiruntur ad hoc, ut placeat imperfecta obedientia. PRIMUM statuendum est, personam fide reconciliationem accipere debere, propter mediatorem. SECUNDO agnoscendum est nos habere peccata, & non satisfacere Legi Dei. ut David inquit: Non intres in iudicium cum seruo tuo. Item: Tibi tantum sum peccatum, ut iustificeris in sermonibus tuis. TERTIO statuendum est, quod tamen Deus requirat inchoatam obedientiam, & ad hanc inchoandam det Spiritum sanctum, & in his, qui sunt reconciliati fide, recipiat, etiam hos cultus, propter mediatorem, & condonet id, quod deest, ut Petrus inquit: Offerte hostias placentes Deo propter Ihesum Christum.

### DE SEXTO.

CUM autem dicitur manere peccatum in Sanctis, & tamen requiri inchoatam obedientiam, quæ peccata sine in Sanctis reliqua, quæ uero excutiant gratiam, & perturbent spiritum sanctum? Respondeo: Manent in Sanctis peccatum originis, & prauis affectus, sed ita, ut repugnent Sancti his malis. Sed si assentiantur contra conscientiam, & indulgeant, ac non repugnent, amittitur gratia, conturbatur, f & eijcitur,



## DOMINICA SEXTA

Et eicitur Spiritus sanctus. ut in Saule peccata mortalia sunt, non solum externæ iniuriæ contra Dauidem, sed etiam odium ipsum internum, cui indulget et assentitur.

Addit igitur Christus hic contionem de odio, cui indulgetur contra conscientiam, id iubet deponi, et iubet redire in gratiam. Cum enim inquit: Si recordatus fueris, quod frater tuus aliquid aduersum te habeat, facit mentionem affectus contra conscientiam hærentis, hunc uult deponi, etiamsi morbus naturalis non potest deponi.

### DE SEPTIMO.

**M**VLte sunt sententiæ de uindicta, quæ prudenter discernendæ sunt. Aliæ enim loquuntur de officio magistratus, quod non est prohibitum, imo exercetur mandato Dei. Aliæ loquuntur de priuata uindicta, quæ prohibita est. Est autem acerrimus motus, præsertim in excellentibus naturis cupiditas uindictæ, ut dicitur: At uindicta bonum est, et uita dulcius ipsa. et sæpe perturbat Respub. et Ecclesias. Ac arbitror ideo fieri mentionem oblationis in hac ipsa materia, quia ex cupiditate uindictæ, maxima existunt certamina in Ecclesia. Præmonet igitur Christus, ut offeramus, id est, ut faciamus officia Ecclesiastica sine odijs, sine cupiditate uindictæ.

Simul



POST TRINITATIS. 42.

Simul etiam docet hic locus, ceremonias non prodesse istis, qui habent mentes contaminatas peccatis contra conscientiam, uidelicet uiolatione moralium, sicut alibi dicitur: Circuncisio prodest, si Legem obserues.

DE OCTAVO

**M**onet etiam textus, à quo reconciliatio inchoanda sit. Quia textus inquit: Si recordatus fueris, quod frater tuus habeat aliquid aduersum te &c. Quia læsus habet causam aduersus lædentem, inchoet ergo reconciliationem is qui læsit. Sed etiam si is durior est, quam ut flecti sese ad sanitatem uelit, tamen læsus non debet alere odium. ut etiam si Saul non petebat ueniam, tamen Dauid non oderat eum, non indulsit priuatae cupiditati uindictæ, sed seruauit regulam: Remittite, & remittetur uobis. Hanc sæpe non obseruant irritati leuibus iniurijs, compensant eas uindicta multo atrociore, quam fuerat iniuria, qua ipsi affecti sunt, imo etiam priuatis contentionibus miscent publica negocia. Hoc malum diligenter considerandum & cauendum est, ne ruamus contra uoluntatem Dei, & nostra impatientia & cupiditate uindictæ noceamus Ecclesie uel Reipub. Sed potius obliuiscamur iniurias, & sanemus, sicut Christus commonefacit nos, læsus

f ij uans



## DOMINICA SEXTA

*uans pedes Apostolis, & addens praeceptum: Diligite inuicem, & sicut ego feci, ita uos faciatis. Nam lotio pedum propriissime significat illam sanationem offensionum & erratorum, uel iniuriarum.*

## DOMINICA SEPTIMA POST TRINITATIS, EVANGELIUM, Marci VIII.

**I**N diebus illis, cum turba admodum multa esset, nec haberent quod manducarent, uocatis ad se Ihesus discipulis suis, ait illis: Misereor super turbam, quia ecce iam triduo manent apud me, & non habent quod manducant, & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in uia, Quidam enim ex eis de longe uenerunt. Et responderunt ei discipuli sui: Vnde istos quis poterit hic satiare panibus in solitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Illi autem dixerunt: Septem. Et praecepit

pit